

Cap. CXI. De mercatoribus qui scribere non debeant per abachum et dare debeant cedulae et quaternos producere in iure.

A dhuc ordinamus quod nullus mercator habitans Tergesti
 scribere presumat in aliquo suorum quaternorum ali- 5
 quem numerum denari[or]um, tam datorum quam receptorum
 per ipsum, per abachum, sub pena centum sold. par. pro quo-
 libet contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Et quilibet
 184 B mercator, qui daret vel dabit // aliquod bladum sive merci-
 moniam aliquam in credentiam super aliquibus pignoribus, 10
 dare debeat et teneatur illis quibus tale bladum vel merci-
 moniam dederit, uni vel pluribus, cedulam sive cedulae in
 quibus scripti sint dies terminus quantitas bladi sive merci-
 monie, res obligate ¹⁾ quantitas denariorum et nomen debi-
 toris, sub pena supradicta pro quolibet contrafatiente et vice 15
 qualibet contrafacta. ¶ Preterea si aliqua questio erit coram
 dominio inter aliquem mercatorem et aliam personam, et pe-
 tietur produci quaternos ipsorum mercatorum suorum ²⁾ ra-
 tionum in iure tam de datis quam de receptis per ipsos, quod
 ipsi mercatores producere debeant et teneantur dictos qua- 20
 ternos in iure, ut videantur in eorum scriptas, alioquin si non
 producerent non audiantur nec eisdem mercatoribus aliqua
 ratio tribuatur.

Cap. CXII. De denariorum missione. R.ca.

O rdinamus quod, si qua persona mitteret alicui alteri per- 25
 sone denarios vel aliam rem, persona portans ipsos de-
 narios seu rem infra tertiam diem, postquam pervenerit ad
 locum ubi ipsi denarii vel res mitteretur, dare et presentare
 debeat et teneatur illi persone uni vel pluribus cui vel quibus
 mitterentur, sub pena sold. viginti par. pro qualibet marcha 30
 vel de valore rei in extimatione marce et ab inde inferius pro
 185 A rata cuiuslibet marce, si quere- // la ad dominium pervenerit;

¹⁾ obligatas. ²⁾ suorum.